

est eos quos negatius Deus reprobavit, odio haberi, seu non diligi, atque appellari vasa irae, vasa contumeliae; quod sane contingere non valet nisi ob originale peccatum: ut enim legitur Sap. xi: nihil potest Deus odire eorum quae fecit, quum omnia sint valde bona: odit ergo Deus in Esau, odit in reprobato, quod non fecit ipse, neque originale peccatum.

Secundo hanc propositionem demonstrant Patres. Augustinus prae-
primis scribit (12): «vasa sunt irae, quae perfecta sunt ad perdi-
tionem, quae illis debita redditur; sibi hoc imputent, quia ex ea
massa facta sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes
peccauerunt, merito iusteque damnavit. Si autem vasa sunt mi-
sericordiae, quibus ex eadem massa factis supplicium debitum redi-
dere noluit, non se infest, sed ipsum glorificant, qui eis mis-
ericordiam non debitam praemittit.» Et infra (13): «quid enim di-
ligebat in Iacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratui-
tum misericordiae sue donum? Et quid oderat in Esau antequam
natus esset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque
in illo diligenter iustitiam, quam nullam ille fecerat, neque in isto
odisset naturam quam bonam ipse fecerat.» Habet similia plurimis
in locis (14). Subscribit Augustino S. Thomas: potissimum ubi do-
cet (15), manifestationem duplicitis attributi, misericordiae nempe, et
iustitiae esse caussam, cur licet omnes homines sint aequales, et in
natura, et in peccato originis, vnum tamen Deus praedestinet, alium
reprobat. Eius verba sunt: «voluit ergo Deus in hominibus
quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam representare boni-
tatem per modum misericordiae parcendo; et quantum ad aliquos,
quos reprobatur per modum iustitiae puniendo. Et haec est ratio
quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobatur.» cert. Et alibi (16): «si aliquis duobus aequo ipsis offendientiis vni dimittat
offensam, et non alteri, est misericors vni, et iustus est ad alterum,
neutrī vero iniquus. Quoniam enim omnes homines propter pec-
catum primi parentis damnationi nascantur obnoxii, quos Deus li-
berat, per suam gratiam liberat; et sic quibusdam est misericors,
quos

(12) Epist. exciv. alias ev. ad Six-
tum cap. 6.

(13) Cap. viii. eiusdem Epist.

(14) Lib. ii. contra duas epist. Pe-
lag. cap. 7. Et lib. de Correp-

tione et grat. cap. 7. et alibi.
(15) Prima Parte, quæst. xxiii. art.
5. ad 1.

(16) In cap. ix. Epist. ad Rom.
Lect. 5.

«quos liberat; quibusdam autem iustus, quos non liberat, neutris
autem iniqui.»

Hinc eruuntur variae theologicæ argumentationes pro assertio-
ne nostra firmando. Harum præcipua sit: prædestinatio ad gloriam
facta est per modum misericordiae parcendo; reiecta vero a glo-
ria, quae est reprobatio negativa, facta est per modum iustitiae pu-
niendo, atqui in signo illo in quo discretio electorum a reprobatis
facta est, nihil certe erat, ob quod Deus parcere, vel punire pos-
set, nisi originale peccatum: quum enim in uno eodemque signo,
in quo facta est prædestinatio aliorum, facta fuerit aliorum re-
probatio; et quum prædestinatio facta sit ante merita personalia
præeuisa; et sic parcendo facta sit, hoc est peccatum originale con-
donando; quoque et reprobatio ante peccata personalia facta fuit,
puniendo quidem originale peccatum.

Alia ratio est: ex quo Deus creaturam rationalem cum iustitia
originali et gratia sanctificante condiderit, iniquus illico esset si
illam in gratia perseuerantem a regno excluderet: tametsi gloria illi
non sit debita, quemadmodum neque gratia, vt contra Baium de-
finitum credimus: ideo igitur illam excludit a gloria, quoniam per
originalem culpam acceptam iustitiam deperdidit. Insuper: jan non
negativa reprobatio poena censenda est? Supponat ergo culpam oportet.

C A P V T X.

*Caluini errore relato, ad ea quae a Caluinistis obiciuntur, sol-
uenda pergit. Dein Theologorum Catholicorum in negotio reproba-
tionis negatiuae nobis aduersantium argumentis
fit satis.*

Inter Ioannis Caluini foedissimos errores unus ex præcipuis fuit,
vnicam et adaequatam tum negatiuae tum positivæ reprobatio-
nis caussam esse solam Dei voluntatem. Censuit enim ille, Deum
ante præclusionem cuiuslibet peccati, tum actualis, tum originalis,
ab aeterno quosdam homines, quosdamque Angelos a regno coele-
sti exclusisse, illisque poenam damni et sensus præparasse; proin-
de nec Angelos nec homines reprobos, fuisse creatos ad coelestem
beatitudinem, sed in damnationem sempiternam: atque vt hoc suum
decretum exequutioni mandetur, necessitatem illis imponi ad peccan-
dum,

dum, quinimo positiue eos a Deo ad peccatum impelli. Haec erat hominis implissimi mens, quantum ex eius scriptis intelligitur. Scribit enim (1): quod Deus «consilio nutuque suo ita ordinat, vt inter homines nascentes ab utero certae morti deuoti, qui suo existio ipsius nomen glorificant.» Et rursum (2) postquam dixit, Deum «pro arbitrio suo quem visum illi fuerit misericordia dignari, in quicumque libuerit iudicis seueritatem stringere; indurandi verbum quum Deo in Scripturis tribuitur, non solum permissionem, sed diuinae quoque irae actionem significare. Quod Satan ipse, qui iussus efficaciter agit, ita est eius minister, vt non nisi eius imperio agat.» Concludit: «corruit ergo fruolum illud effugium, quod de praescientia Scholastici habent. Neque enim praevidebat ruinam impiorum a Domino Paulus tradit, sed eius consilio, et voluntate ordinari; quemadmodum et Salomon docet, non modo praecongnitum fuisse impiorum interitum, sed impios ipsos fuisse destinato creatos vt perirent (3).»

Quod quidem excrabile Caluini dogma, etsi non omnes, praecipui tamen illius Sectatores, ex ipso Caluinistae nuncupati, his argumentis communire conati sunt: vt legimus Act. ii. v. xxii. de Christos *hunc definito Dei consilio, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interimistis.* Deus igitur definito consilio Iudeos reprobos ad Deicidium impulit. Similiter: dicitur Exod. vii: *ego indurabo cor eius.* Et Ioann. xii: *propterea non poterant credere, quia dixit Isaías: excaecavit oculos eorum, et indurauit cor eorum, vt non videant oculis, et non intelligent corde.* Deus ergo causa est ad peccatum impellens, pro suo lubitu damnans, et praedestinans ad interitum. Praeterea: Augustinus aperte docet (4), malorum hominum voluntates a Deo in malum inclinati, quod Pharaonis exemplo demonstrat, dicens: «sicut est induratio Pharaonis, cuius et causa dicitur, ad ostendendam in illo virtutem Dei.» Igitur praeassposita in humana voluntate malitia, impellit Deus efficienter reprobum in culpam, et in damnationem. Accedit: reprobri necessario damnantur: neque enim pro reprobis orare possemus, si latum de eius reprobatione decretum nobis, Deo reuelante, notum fieret: dicit enim Augustinus (5): «si de aliquibus ita certa

»CS-

(1) In iii. Institut. cap. 23. §. 6.

(2) In cap. ix. Epist. ad Rom.

(3) Cap. xvii. v. 4.

(4) Lib. de grat. et lib. arb. cap. 20.

(5) Lib. xxi. de Cuius. Dei cap. 24.

»asset Ecclesia, vt qui sint illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen praedestinati sunt in aeternum ignem ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam ne pro ipso.» Haec potissimum Calvinistae opponunt; quae tamen suo ordine soluere non est difficile.

Ad primum itaque respondet S. Thomas scribens (6): «eadem actio diuersimode iudicatur in bono vel in malo, secundum quod ex diuersa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, et ipse semetipsum ex caritate; et ideo laudantur. Iudas autem tradidit ipsum ex cupiditate; Iudei autem ex inuidia; Pilatus ex timore mundano, quo timuit Caesarem; et ideo vituperantur.» Petri igitur dictum, nempe *definito Dei consilio de redemptione intelligendum est*, et ad Patrem referendum: adeo vt hic definito consilio, Filium suum pro humani generis redemptione tradiderit; minime vero intelligendum de Deicidio; sic vt referatur ad Iudeos, seu iniquos, atque hi Dei consilio Christum interemerint; permisserit licet Deus Iudeorum iniquitatem, vt latum de morte Filii decreatum exequeretur.

Ad secundum dicendum: Deum excaecare, et obdurare subtrahendo tantum, et non largiendo gratiam; non vero infundendo, aut cauando malitiam, vel ad peccandum impellendo. Sic expresse Augustinus variis in locis potissimum in Epistolis, et in tractatibus in Ioannem (7) vbi ait: «excaecat Deus deserendo, et non adiuuando. Quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.»

Tertii solutio est: Augustinum hoc unum docere, impios aliquando a Deo deserit, quatenus sinit eos, aut peruersorum consuetudine corrumpi, aut in bonorum temporalium affluentia superbire, aut aliis rerum circumstantiis abiut. Non ergo Deus homines ad malum impellit, sed sinit eos potestate sua vt malo, quod in ipsis permitit; vel vt cum Schola loquamur, occasionaliter tantum, ac permissive, non directe in malum eos trahit, impellitque. Legendum super hac re S. Thomas (8).

Postremum sic soluendum est: reprobis necessario quidem damnabitur, necessitate quam vocant consequentiae, quoniam infallibilis sit illatio ista: Iudas ab aeterno reprobatus est: ergo damnabitur.

Non

(6) Tertia Parte, quest. xlviij. art.

3 ad 3. et tractatu 53.

(7) Epist. xcix. alias xv. ad Six-

rum; et tractatu 53.

(8) In Epist. ad Rom. cap. 9.

Non tamen necessitate, quae consequentis dici consuevit: nam verum non est dicere: Iudas ab aeterno reprobatus est: ergo necessario damnabitur. Damnabitur enim libere; quatenus libere peccando, damnari volet. Quod vero stante revelatione de illius reprobatione, haud possemus nos pro illo orare, non ex eo ortum ducetur, quod non posset ille absolute salutem consequi; sed quod revelatione illa posita, omnis omnino a nobis spes tolleretur obtinendi pro eo media efficacia ad salutem, videlicet, aut actuali conuersationem, aut finali perseverantiam: spei siquidem obiectum est non bonum possibile, sed futurum. Quin et orationem nostram eo in causa non esse licitam iudicant Theologi.

Sed Calvinistis iam debellatis, Theologorum modo Catholicorum nobis contradicentium argumenta erga adsertam reprobationis negatiua causam soluamus necesse est. Opponunt ergo primo Paullam, qui ad Rom. ix. non minus excludit demerita a reprobatione, quam merita a praedestinatione, dicens: *quam nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali cet.* Ergo sicut electio ad Regnum antecedit quaecumque merita, ita reiecio a regno quaelibet demerita praecedit. Insper Paulus ipse negatiuam reprobationem in solam Dei voluntatem reducit: *quam enim sibi obiecisset v. xiv. Numquid iniquitas apud Deum? ad supremam Dei voluntatem confugiens, dicit; miserebor cuius misereor.* Concluditque: *igitur non volentis, neque currentis, sed misarentis est Dei.*

Secundo opponunt: Augustinus non minus reprobationem, quam praedestinationem refert ad inscrutabilia iudicia Dei. Scribit enim (9): *¶ cur in eadem causa me potius, quam illum puniet, aut illum potius, quam me liberabit?* Hoc non dico; si quaeris, *¶ quare?* *¶ Quia in hac re sicut iusta est ira eius, ita inscrutabilia iudicia eius.* Idem docet S. Thomas dicens (10): *¶ voluntas secundum quam vult Deus aliquem non saluari, non requirit aliquam rationem ex parte voliti, quam salus gloriae non sit debita naturae humanae.*

Tertio opponunt: saltem in reprobis illis qui Baptismatis Sacramento abluti sunt, atque remissum originis peccatum, non erit istud causa sua reprobationis: extat enim Concilii Tridentini Decretum (11): *¶ in renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnatio*

¶ nis

(9) Lib. de Dono Perseu. cap. 8.

(10) Lib. t. ad Annibaldum Quæst.

vnicia, art. 3.

(11) Sess. v.

351
LIBER IV. CAP. X.
„nis iis, qui vere conseulti sunt cum Christo per baptisma in mortem.“

Quarto opponunt: videtur obstare assertioni S. Thomas de-
cens (12), quorundam reprobationem esse actum diuinae prouidentiae,
ad quam spectat *alios permittere a vita aeterna desicere.* At
si reprobatio esset ex peccato originis, esset actus iustitiae vindictae: ergo.

Quinto rursus opponunt: seu praecedens argumentum instaurant: Deus remittit absdubio baptizatis omnem culpe reatum: ergo et poenae. Remittens enim culpam, et poenam remittat necesse est.

Sexto arguunt: Adam in statu innocentiae caruit perseverantiae dono; sed non eo priuatis est ob originis peccatum: non ergo ob peccatum hoc denegat Deus actualis perseverantiae donum.

Postremo aiunt: praedestinatio caussam non habet: ergo neque reprobatio. Haec obiciunt.

Singula igitur soluenda sunt: ac primum quidem, si Apostoli verba perpendantur, ex eo soluitur, quod Paullus allatis verbis tan-
tum excludit merita personalia, non originale peccatum, vt alibi a nobis fuit demonstratum. De cetero in Dei potentiam, et inscruta-
bilia iudicia reprobationem refundens, non nisi de illa in particula-
ri, seu comparativa sumta loquitur. Quarit enim, cur Esau potius,
quam Iacob, qui aequaliter erat reus, reprobatus fuerit, sicut cur
Iudei potius fuerint reprobati quam gentes? Atque huic quaestioni responder ipse Paullus: „jan non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?“ Absoluta vero reprobatio caussam suam in origini-
ali peccato agnoscit.

Hinc habetur solutio secundi: Augustinus enim et Thomas hoc pacto expounderunt, vt de hac comparativa reprobatione sint lo-
quuti, ne eos sibimet contradicentes agnoscere cogamur: veiba haec sunt Augustini laudato loco: *cur iste assumatur, ille derelinqua-
tur, inscrutabilia sunt indicia Dei.* Nec dissimilia protulit S. Thomas dicens (13): *quare autem in speciali trahat hunc, et illum non trahat, non est ratio aliqua nisi beneplacitum diuinae voluntatis.* Quod ergo scriperat ad Anibaldum, de massa generis humanae cum noxa originali spectata accipiendo est; qua presupposita, gloria est beneficium indebitum, quum tamen debita illa esset creatu-

rae

(12) Prima Parte, quæst. xxiii. art. 3.

(13) In cap. vi. Ioann.

rae rationali cum originali iustitia conditae, si in illa perseverasset. Tertio varie a variis occurritur. Nonnulli manus vietas dant, concedentes, originale peccatum non fuisse reprobationis caussam in his, qui ab eo per Baptismum mundandi erant: quos tamen haud possumus non deserere; deserunt nempe illi communem Patrum sensum. Propterea ad alias responsiones venientes, Theologos alios reperimus duplicum infectionem distinguentes; scilicet et naturae, et personae. Qui insuper addunt, sublata per Baptismum infectione personae, remanere infectionem naturae, nempe concupiscentiam, et ob istam damnati. Verum et hi Theologi admittere videntur in his qui Baptisma suscepere, aliquid perditionis, quod in eis oderit Deus, atque concupiscentiam in illis peccatum esse, quod cum catholica doctrina componi nequit. Itaque mediana nos viam insequentes, dicendum iudicamus: reprobum iam baptizatum non damnari quidem immediate et proxime ob peccatum originale, sed propter actualia; licet remote et radicaliter propter illud damnetur. Noa enim villa originalis peccati culpa in eo manet, qui baptizatus est; remanent tamen misericordiae eius reliquiae, quas inter extat concupiscentia, quea ex peccato est, et ad peccatum inclinat; eique manet adhuc indebitum speciale auxilium ad actu perseverandum requisitum. Consulatur S. Thomas (14).

Ad quartum Theologi respondent, Sanctum Thomam asserere quidem, reprobationem esse acutum prouidentiae; sed non negare, esse quoque actum iustitiae; imo sicut praedestinatio, etsi actus prouidentiae sit, est quoque actus misericordiae, quia quos a massa perditionis liberat, gratis et ex misericordia liberat; sic quos in massa perditionis relinquit, nec a miseria eos liberat, actus iustitiae est. Itaque ibi est et ratio prouidentiae, et actus iustitiae: prouidentiae quidem, quatenus permittit aliquos ab ipso sine desicere: iustitiae vero, quatenus ad id permittendum ex parte corum iustum habet caussam, nempe naturae corruptionem. Legendi Augustinus et Thomas (15).

Ad quintum dicatur: quod exclusio gloria est proxime conexa cum reatu peccati; et remore connexa cum priuatione potentiae proximae expeditae, siue specialis auxiliis actualis perseverantiae, quae priuatio est poena peccati. Hinc habetur, quod homo percipiens

(14) Quaest. vi. de verit. art. 2. ad 9.

gian. cap. 7. Prima Parte, q. xxiii. art. 5. ad 3.

(15) Lib. ii. contra duas epist. Pela-

piens Baptismi gratiam, nequit proxime damnari propter originale peccatum; proxime quidem, vt superius dictum fuit, quia reatu huius peccati caret, et nihil damnationis in eo remanet; damnari tamen potest ob peccatum originale remote; quia vt loquuntur Africani Patres (16): "per nequitiam cordis (impius) in hominis terreni vetustate permanet, illius ibi iusto iudicio derelictus, qui gravitis, iusteque damnat."

Sexti argumenti illatio falsa est: etenim Adam nulla origine vietatus, nulla nequitiae putredine compactus, non egebat iuxta Augustinum huiusmodi adiutorio: nunc vero ad reprimendam elationem, tumoremque superbiae opus est ampliore gratiae virtute, quam Deus aliquibus misericorditer elargitur, aliquibus iuste denegat, ne sibi ipsi fidat infirmitas humana, atque gratiam in iis agnoscat qui liberantur, debitum vero, et iudicium in his qui derelinquuntur. Legitat Augustinus (17).

Alia etiam via solui hoc argumentum potest: quum enim de caussis reprobationis hominum insituta quæstio, statim naturæ lapsæ supponat, nulla est argumenti comparatio, quae de innocentia statu loquitur. Neque enim, felicissima illa primi hominis conditione durante, quid simile humanæ naturæ accidisset, ac post peccatum accidere experimento nouimus: vnde licet primus hominum gratia illa atque persecutantiae actualis dono priuatus non fuerit propter originale peccatum nondum contractum, justissime propter illud priuantur homines reprobri in hac rerum conditione.

Vtimum adsignum est discriben a Sancto Augustino traditum, vbi scribit (18): "bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine meritis damnare, quia iustus est." Et vbi scribit (19): "quae- rimus caussam praedestinationis, et inuenire non possumus. Quae- rimus caussam derelictionis, et inuenimus eam caussam esse pec- catum originale."

COROLLARIUM.

Ex hucusque dictis constat, quam iniquum sit illorum Theologorum iudicium, qui hanc de reprobatione negativa sententiam dogmati Caluiniano comparant, atque censura theologica notare audent. Tom. II.

Dif-
Yy

(16) In Epist. Synod. cap. 7.

(17) De Correp. et Grat. cap. 12.

(18) Lib. iii. contra Julian. cap. 18.

(19) In epist. ad Sextum.

*non
pla-
cer
in doc-
mina
G. Thom.*

Difserit enim ab errore illo omnimode , ac quam longissime distat . Nam Caluinus reprobationis primariam caussam absolutum Dei voluntatem constituit : adserit homines ad interitum violenter impelli : in baptizatis radi tantum , sed non remitti originis peccatum , sive que proximam in his damnationis caussam manere : statuit in ipsa concupiscentia naturam originalis peccati : denique nulli reprobo concedit fidem , veranque iustitiam . At sententia quam sequimur , quaeque Augustinum praecipuum agnoscit Auctorem , neminem sine malo eius merito docet reprobari : voluntate sua cadere eum qui cadit , et gratiae auxilio stare qui stat : originis maculam Baptismo prorsus abstergi , et remanere concupiscentiam ad agonem , caussam damnationis remotam : in reatus macula , quam Baptisma deler , naturam originalis peccati esse positam : atque reprobatorum plurimos , et credere , et iustificari ; licet in accepta iustitia non persecuerent finaliter , sed morte paeueniantur in mortali peccato constituti .

CAPVT XI.

De reprobationis effectibus paucula : item de praedestinatorum reproborumque numero ac signis : queis accedit libri vitae notio , atque descriptio .

Quae de effectibus praedestinationis dicta sunt , ipsa quoque , seruato virtusque ordine , de effectibus reprobationis sunt confirmanda . Adeo ut effectus reprobationis sit quidquid a Deo reprobante est , et ex Dei intentione ad aeternam perducit damnationem . Hinc neque reprobri natura seu substantia , neque liberum eius arbitrium , neque cuiusquam generis dotes , siue facultates inter reprobationis effectus numeranda sunt : haec enim non largitur Deus suis creaturis ut pereant . Erunt igitur reprobationis effectus peccati quod numquam dimittitur , permisso ; doni persecuerantiae iusta denegatio ; obsecratio et induratio , quatenus idem sunt , ac iusta hominis impii derelictio , et misericordiae subtractio , non prout sunt cordis humani singularis inertia , atque nequitia : demumque supplicium sempiternum , quo Deus iuste punit quod ipse non fecit .

Quod si quaeratur ex nobis , quomodo peccati permisso quod numquam dimittitur , sit reprobationis effectus , et nihilominus ipsum peccatum sit caussa damnationis , atque ad illam praesupponatur , respon-

spondemus conformiter ad ea quae superioribus capitibus praeceperimus , permissionem illam esse effectum reprobationis negatiue , ob quam denegatur gratia finalis persecuerantiae ; peccatum autem cum morte coniunctum caussam esse reprobationis positivae , atque supplicii aeterni . Eo pacto donum finalis persecuerantiae effectus est praedestinationis gratuitae , et persecutantia ipsa caussa est glorificationis , ac felicitatis sempiternae . Vnde nihil imperceptibile , vel reprehensibile est in nostra hac sententia .

At praedestinatorum numerum incertum nobis , solique Deo notum Ecclesia testatur dicens : « Deus , cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locundus » ceterum . Quae verba habet etiam S. Thomas (1) . Magnum illum esse haec suadent . Apocalypses cap . vii . legimus : « vidi turbam magnam , quam dinumerare nemo poterat , ex omnibus gentibus , et tribubus , et populis , et linguis , stantes ante tronum , et in conspectu agni , amici stolis albis , et palmae in manibus eorum . »

Verum si comparatio electorum cum reprobatis fiat , valde exiguum illorum esse numerum suadetur ex Scripturis ipsis : etenim Matth . vii . dicitur : angusta est porta , et arcta est via quae dicit ad vitam ; et pauci sunt qui inuenient eam . Item Lucae xiii . cuidam Christum interroganti , Domine si pauci sunt qui salvantur ? Respondit ipse Christus : contendite intrare per angustam portam : quia multi , dico vobis , quaerent intrare , et non poterunt . Insuper Matth . xxii . dicitur : multi sunt vocati , pauci vero electi . Similiter ab Isaia cap . xvii . praedestinati spicis assimilantur , quae post menses remanent in agro ; grana quoque vuarum , racemisque post vindemiam in palmite remanentibus . Tandem electi dicuntur in Euangeliō pusillus gres , nedum ob humilitatem , sed etiam ob maiorem reprobatorum numerum , vt exponit Beda (2) .

Patres deinde id ipsum tenent . Scribit siquidem Augustinus (3) : « quot sunt illi qui videntur obseruare praecepta Dei ? Vix inueniuntur unus vel duo , aut paucissimi . Ipsos solos liberatus est Dominus , et ceteros damnaturus . » Et Magnus Gregorius (4) : « ad fidem inquit multi veniunt ; sed ad coelestia regna pauci perueniunt . » Etiam Ioannes Chrysostomus Anthiochenos compellans

Yy 2

ait

(1) Prima Parte , quaest . xxiii . art . 7 .
(2) Lib . iv . cap . 54 .

(3) In Psalm . xlvi .
(4) Hom . xiv . in Euang .

ait (5) : »; quot putatis esse in Civitate nostra , qui salvi fiant ?
»Non possunt in tot millibus centum inueniri qui saluentur. Quis
»er de his dubito.«

Suffragatur haec evidenterissima ratio : triplex enim hominum statutus distinguitur , scilicet naturae , legis , et gratiae ; vel ab Adam usque ad Mosem , a Mose ad Christum , a Christo ad haec tempora , et ad finem usque mundi. In priore statu , videlicet naturae , multa erat malitia hominum super terram ; cuncta cogitatio intenta erat ad malum , et omnis caro corrupserat viam suam ; adeo ut potuerit Deum , quod hominem fecisset , et tactus dolore cordis intrinsecus consumerit omnem substantiam , quae erat in terra , ab homine usque ad pecus , exceptis animantibus quae cum Noe in arcam erant ingressa. Ita liber Genesios capp. vi. et vii.

Sed et post diluvium iterum grassata iniquitas est , et una cum gentibus idolorum cultus , indomita aque effrenis concupiscentia. Scriptam vero legem soli Iudei habuerunt , quam tamen paucissimi seruauerunt. De illis enim haec David pronuntiavit : »omnes declinaverunt , simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum , non est usque ad unum.«

Denique in statu legis gratiae maiorem hominum partem Ethnici , atque Hæretici cum Mahomedanis constituant. Neque omnes Catholici salvi fiunt. Horum aliqui mundani dicuntur , aliqui Clerici , aliqui Fratres aut Monachi. Ad mundanos quod attinet , Saluianus est qui dicat (6) : »praeter paucissimos qui mala fugiunt , quid est aliud pene omnis coetus Christianorum quam sentina vitiorum?« Clericos vero et Monachos , ob status reuerteniam non memoramus.

Igitur constat ex his apertissime , in omni statu , et in omni hominum genere esse reuera valde exiguum praedestinatorum numerum. Haud tamen hinc nobis desperandum : quin , propter Dei praedestinantis misericordiam sperare tenemur , in exiguo licet numero nos esse repositos ; ac sedulam locare operam ne ob patrata scelera aeterno addicemur supplicio.

Licer tamen incertus penitus electorum numerus nobis sit , certum illum Deo reuera esse S. Thomas nobis auctor et magister est : cuius hic verba transcribemus (7) : »respondeo dicendum quod nu-

(5) Orat. xiv.

(6) Lib. iii. de Prudentia.

(7) Prima Parte , quæst. xxiii. art.
7. in corp.

»merus praedestinatorum est certus. Sed quidam dixerunt , eum esse certum formaliter , sed non materialiter ; vt puta si diceremus certum esse quod centum vel mille saluentur ; non autem , quod hi vel illi. Sed hoc tollit certitudinem praedestinationis , de qua iam diximus. Et ideo oportet dicere , quod numerus praedestinatorum sit certus Deo , non solum formaliter , sed etiam materialiter. Sed aduertendum est , quod numerus praedestinatorum certus Deo dicitur non solum ratione cognitionis ; quia scilicet sciit quot saluandi sunt ; sic enim Deo certus est , etiam numerus guttatum pluviae et arenae maris ; sed ratione electionis , et definitionis eiusdem.«

»Ad cuius evidentiam est sciendum , quod omne genus intendit facere aliquid finitum ut ex supradictis de infinito appareat. Quicumque autem intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu , excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus eius , quae per se requirunt ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his , quae non principaliter requiruntur , sed solum propter aliud : sed in tanto numero accipit huiusmodi , in quantum sunt necessaria propter aliud : sicut aedificator excogitat determinatam mensuram domus , et etiam determinatum numerum mansionum quas vult facere in domo , et determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti ; non autem eligit determinatum numerum lapidum , sed accipit tot , quot sufficientiunt ad explendam tantam mensuram parietis. Sic igitur considerandum est in D:o respectu totius viuieratis , quae est eius effectus. Praeordinavit enim in qua mensura deberet esse totum viuversum , et quis numerus esset conueniens essentialibus partibus viuieris ; quae scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem , quot scilicet sphærae , quot stellæ , quot elementa , quot species rerum. Individua vero corruptibilia non ordinantur ad bonum viuieris quasi principaliter , sed quasi secundario , in quantum in eis salvatur bonus speciei. Vnde licet Deus sciat numerum omnium individuorum , non tamen numerus , vel boum , vel culicium , vel aliquorum huiusmodi est per se praordinatus a Deo : sed tot huiusmodi diuina prouidentia producit , quot sufficiunt ad specierum conseruationem. Inter omnes autem creaturas principalius ordinantur ad bonum viuieris creature rationales , quae in quantum huiusmodi incorruptibles sunt , et potissime illæ , quae bea-

„beatitudinem consequuntur, quae immediatius attingunt ultimum finem. Vnde certus est Deo numerus praedestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis praefinitionis.“

„Non sic autem de numero reproborum qui videntur esse praeordinati a Deo in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.“

„De numero autem omnium praedestinatorum hominum, quis sit, dicunt quidam, quod tot ex hominibus saluabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus saluabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero quod tot ex hominibus saluabuntur, quot Angeli ceciderunt, et insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus; (vt haberet collecta pro viuis, et defunctis.)“ Haec ad litteram S. Thomas; quibus nihil excogitari poterit apertius ac solidius.

Signa modo et praedestinatorum et reproborum exploremus. Priorum haec sunt praecipua: I: sensuum illecebris, ac mundi voluptatibus nuntium mittere, animo quidem et spiritu, libertate eriam et consilio. Pollicitus est enim Deus summe verax centuplum, vitamque aeternam his qui reliquerint domum, vel fratres cert. vt habetur Matth. xix.

II: tolerare patienter iniurias et persecutiones propter iustitiam, vt liquet ex eiusdem Euangelii cap. v.

III: humilitas vera, et quae in omnibus, et erga omnia prodat se. Dicitur enim Psalm. c: non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam. Et Matth. xviii: nisi conuersi fueritis, et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum coelorum.

IV: ardens in Deum et proximum caritas: iuxta illud Pauli ad Rom. viii: quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Huic caritati adest indiuidea diuinorum praeceptorum obseruantia, de qua apud Ioann. cap. xvi. Dominus dicit: si diligitis me, mandata mea seruate.

V: libenter verbum Dei audire; maiorum exhortationibus acquiescere; et spirituali lectione delectari: vnde Ioann. x. legimus: oves meae vocem meam audiunt.

VI: Deiparae Virginis specialissimus cultus: exponi enim de Beatis-

tissima Virgine potest illud Prouerb. cap. viii: qui me inueniet inueniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

VII: confidere in Deo, nequitquam in homine, iuxta id quod David Psalm. xxxix. ait: *beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.*

VIII: signum est sollicitudo in vitandis peccatis; praeteritorum criminum anxietas, et amaritudo; maximum Deum placandi studium; Sacramentorum frequens vsus; verborum castigatio; mentis puritas; candor morum; conscientiae sedula examinatio; propositum usque in finem perseverandi; et futuri iudicij mixta cum spe formido. Quod si quae alia signa praedestinatorum sunt, ad haec facile reducuntur.

Atque ex his habetur quoque quaenam reproborum signa sint: scilicet quae dictis contrariantur atque opponuntur.

Placet tamen scalam perditonis reproborum secundum omnes quibus constat gradus efformare, vel construere. Igitur reprobus primum leuiora peccata contemnit, quibus multiplicatis, paullatim torpescit, et derelinquit illum cor eius, crescit effraenata cupiditas, flaccedit orationis studium, ac sensuum custodia; atque a scintilla una augetur ignis, et qui minora spernit in maiora prolabitur: deinde contrahitur macula mortalis culpae, quam sequitur mors anime, recedente ab ea cum gratia sanctitatis Deo vita spirituali cuiusque substancialie. Descendit tertio gradu impius in peccandi consuetudinem, qua, veluti catena quadam constringit, adeoque gravatur, vt nequaquam surgat ad poenitentiam. Hinc delabitur in mentis excaecationem; impius enim, quem in profundum venerit, contemnit; et ita excaecatur, vt nec videat, nec intelligat corde. Profundior tum, ac deterior succedit gressus, hoc est, cordis obdurate, animique pertinacia: de qua Apostolus ad Rom. ii. ait: secundum duritiam tuam, et impenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae, et reuelationis iusti iudicij Dei. Et Eccl. iii: cor durum habebit male in nouissimo. Fasit Deus vt nemo nostrum per hos gradus perditonis progrediatur.

De cetero, quem in Sacris litteris, et apud Ecclesiasticos Scriptores frequens sit libri vita mentio, nec inutile certe, nec iniucundum erit libri huius notionem euoluere, illumque describere, vt facilior sit eorum quae de eo traduntur, intellectus. Omnia itaque com-

complexus est S. Thomas (8): hinc ex eo petenda nobis, et huius libri notio, et testimoniorum, quae et in verbo Dei scripto, et in Patrum elucubrationibus de illo sunt, legitima explicatio. Praenotata vero ille vitas librum multipliciter dici. Primo librum qui obtinendae vitae aeternae doctrinam continet, de quo Eccles. xxiiii. dicitur: „haec omnia liber vitae.“ Secundo, librum qui sanctae vitae exemplar et forma est, nempe Christum: de quo illud Apocalypses xx: *alius liber apertus est.* Et Magnus Gregorius in Moralibus: „liber vita dicitur ipse Index venturus, quia quisquis cum videtur, mos cuncta quae fecit ad memoriam reuocabit,“ quia scilicet, subdit Dr. Angelicus, *eo inspecto quilibet scire poterit, in quo exemplari concordauerit, et in quo discordauerit.*

Tertio diuinam quandam vim, qua fiet, vt Augustinus ait (9): „vt cuique opera sua bona vel mala ad memoriam reuocentur, quae nimur diuina vis libri nomen accipit.“ Sic autem inquit, S. Thomas (10), „nunc non agimus de libro vitae, sed secundum quod liber vitae dicitur representatio eorum, qui ad vitam peruenient, qui dicuntur in libro vitae conscripti,“ ducta a rebus humanis similitudine. Ad quamlibet enim similitudinem, quae alicuius Rectoris prouidentia regitur, nullus admittitur nisi secundum gubernantis ordinationem: quare qui in collegium multitudinis sunt cooptandi, conscribi solent, quasi multitudinis illius futuri consortes; eaque conscriptione multitudinis Princeps dirigitur ad excludendos, vel in subiecta sibi multitudine referendos aliquos. Quae vero multitudi sapientia gubernata quam triumphantis Ecclesiae collegium, quae in Scripturis Civitas Dei dicitur? Eorum ergo, qui ad beatam societatem illam admittendi sunt, descriptio, sive representatio, liber vitae dicitur, quod ex Scripturatum loquendi modo colligitur. Legitur enim Lucae x: *gaude et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in celis.* Isaiae iv: *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus fuerit in vita in Hierusalem.* Et ad Hebreos x: *accessistis ad montem Sion, et Civitatem Dei viventis Hierusalem coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primituorum, qui conscripti sunt in celis.*

Hinc concludendum cum S. Thoma, librum hunc vitae non esse quid creatum, sed increatum. Intelligimus enim, oportere, vt

ex

(8) Prima Parte, quæst. xxiv. art. 2.
1. 2. et 3.

(9) Lib. xx. de Civit. Dei cap. 14.
(10) Vbi supra.

ex eorum qui ad beatam vitam delecti sunt, descriptione, dirigatur ad tribuendam aeternam vitam beatissimæ illius multitudinis Rectoris; nempe Deus. Qui autem prima, et summa omnium regula est, potestne a quopiam creato dirigi? Liber ergo vitae aliquid increatum dicit. Quid autem hoc? Ipsa Dei cognitio, qua firmissime percipit quos et quod ad aeternam vitam elegerit. Ut enim apud nos exarari aliquid in libro solet ad succurrentum memoriae, ita allegorice descriptum aliquid in eiusplam mente dicitur, quod in eius animo fitimur haeret. Quia ergo Deus aeterna et immutabili cognitione notatos atque perspectos habet omnes, et singulos, quos ad beatas vitae consortium destinauit; immobilis haec cognitio liber vitae per metaphoram dicitur: quare definiri liber vitae sic potest: certissima et omnino fixa Dei cognitio, qua exploratum haber electorum numerum.

Ex quibus insuper patet, librum vitae securus ac Veteres aliqui a D. Thoma refutati (11) senserunt, non personaliter, sed essentialiter dici; seu non esse alicuius diuinæ Personæ proprium, sed toti Trinitati communem. Adnotat tamen S. Thomas (12), librum vitae Filio appropriari, explicatque, quae sit verbi huius apud Ecclesiae Magistros significatio. „Appropiare, inquit, nihil est aliud, quam commane ad proprium trahere.“ Ut ergo sapientia Filio appropriatur; ita et liber vitae, cuius est in cognitione posita notio. Quoniam autem in illud Psalm. xxxix. quod de Christo dictum esse Paulus ad Hebreos ix. interpretatur: *in capite libri scriptum est de me*, ait Glossa, *apud Patrem, qui est caput mei,* quare Patri videtur potius tribuendus liber vitae quam Filio, de quo in Patre scriptum est; responder ibidem Dr. Angelicus, Patrem libri capit dici, non quod ei magis quam Filio ratio libri conueniat, sed Filius, cui liber vitae appropriatur, a Patre oritur.

Quod autem nitidam, explicatque libri huius habeamus notitionem, illud et hic querari potest; num liber vitae idem sit, ac diuina praedestinatio: haec enim videtur esse Augustini sententia, vbi scribit (13): *liber vitae est praedestinatio eorum, quibus debetur vita aeterna.* Verum S. Thomas, pro maxima qua Augustinum prosequitur est reuocentia, ut eius euoluat mentem, promatique genuinum eius sensum, quartum memoratae quæstiōni articulū.

Tom. II.

Zz

lum

(11) Quæst. yr. de Veritate art. 2.
(12) Laudato loco.

(13) Lib. xx. de Civit. cap. 15.

Ium addit, in quo Augustini testimonium cum his quae dicta sunt, cohaerere demonstrat. Praedestinatio itaque, et liber vitae idem formiter non sunt, sed materialiter est liber vitae ipsa praedestinatio; quia nimur in libro vitae veluti descripta repreäsentatur: vt dilucide ibi S. Thomas demonstrat. Neque aliud sibi Augustini voluisse adfirmat, quem dixit, librum vitae praedestinationem esse. Hanc vero ad eius dictum adhibitam interpretationem legitimam esse patet ex libri vitae definitione ab eodem Augustino tradita: videlicet: *liber vitae est praescentia Dei, quae falli non potest, eorum qui salvi fiunt.*

Ceterum quum non electorum dumtaxat, sed et reproborum habeat Deus numerus explorassimum; et num libro vitae, qui est cognitio praedestinatorum ad gloriam responderet liber mortis, qui descriptos repreäsentet praordinatos ad aeternum interitam? Negat S. Thomas (14); hocque, inter alia, momento, quod plane decretorum est, suam sententiam roboret: nimur, quia vt ait Auctor libri de diuinis nominibus cap. 1: „de diuinis non est audendum aliquid dicere, nisi quod est per auctoritatem sacrae Scripturæ introductum;“ scilicet expresse, vel tacite, quoad verba vel quoad rem verbis significatam. Etsi autem libri vitas frequens in diuinis litteris mentio fiat, libri tamen mortis vbinam mentio est? Quod inde proferri testimonium potest, ex quo recte possit colligi, hunc librum in Deo ponendum esse? Audendum ergo non est funestum hunc librum Deo attribuere. Momenti etiam multum habent ad suadendum rationes quas S. Thomas adiicit. Nec enim, ait, apud homines consuetum est eos qui repelluntur, conscribere, sed eos qui eliguntur. Non igitur responderet reprobationi liber mortis, vt praedestinationi liber vitae.

At exurgit hinc haud leuis difficultas: videlicet, quum sit liber vitae cognitio certissima, et plane immutabilis, qua Deo comprehensus est electorum numerus, qui fieri potest, vt de libro hoc aliqui deleantur; quemadmodum Psalm. LXVIII: legere est: *deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur?* Hanc difficultatem nonnulli solvere conati sunt, vt S. Thomas refert (15), verba Psalm. sic exponentes, vt non secundum rei veritatem, sed secundum hominum opinionem, dicta illa fuerint, quatenus homi-

nes

(14) Prima Parte, quæst. XXIV. art. 1. ad 3. et quæst. VII. de ve-

rit. art. 8.

(15) Prima Parte, quæst. XXIV. art. 3.

nes ex praesenti iustitia, seu morum probitate, quam vident, aliquos aestimantes, putant, eos in Libro vitae descriptos: verum quum vel in hoc, vel in futuro saeculo patebit, excidisse illos a iustitiae, seu gratiae statu, dicentur de libro vitae deleri; seu constabit hominibus vere illos non fuisse in eo libro conscriptos: nam et in Scripturis ea saepe dicuntur fieri quae declarantur. Tamen haec interpretatio non probatur Angelico Praeceptoris, nec probari sane cuiquam cordata potest. Non deleri enim de libro vitae inter eximia principalioraque Sanctorum præmia in Scripturis numeratur, vt Apocalyp. II. vbi dicitur: *qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitae.* Quid autem Sanctoris promittitur præmium in sola hominum potestate positum illud est? Ergo vera illius testimonii intelligentia haec est: quum sit liber vitae omnium qui ad aeternam vitam ordinati sunt, in mente Dei conscriptio, adnotat S. Thomas, ordinari homines ad tam excellens bonum ex diuina prædestinatione, seu efficaci diuinæ voluntatis proposito, et ex gratia dono. Quae ex diuina prædestinatione est ordinatio numquam deficit, sed immobilis omnino ea est, sicut et Dei voluntas: quae vero ex sola gratia est, deficere illa potest, deficitque quandoque. Ergo quos Deus priori modo ad gloriam ordinauit, hi simpliciter in libro vitae conscripti sunt, de quo numquam delentur: quos autem ex sola gratia, hi dumtaxat secundum quid in libro vitae descripti sunt, de quo et possunt deleri, et delentur, quia gratiae iacturam facere possunt et faciunt.

Quartus igitur liber hunc in modum absolutus sit, quem plus fortasse nimio longum fecimus: rametsi non sint longa, quibus nihil est, quod demere possis.

EXPLICIT.

240